



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

§. 67. Decretum sacræ Facultatis Theologicæ Coloniensis contra quatuor priores Libros Marci Antonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII.
A.C. 1618.

§. LXVII.

*Decretum Sacræ Facultatis Theolo-
gicæ Colonienfis contra quatuor
priores libros Marci
Antonii.*

Tandem vero Sacra Facultas Theolo-
gica Coloniensis memor obsequii,
quod Christo, ejusque Ecclesiæ debet,
necnon diligentia, quam contra emer-
gentes hæreses semper præstítit, se-
quens decretum die ultima Martii hoc
anno promulgari præcepit.

Facultas singulis rite examinatis, di-
scussis, & ad ipsum exemplar collatis,
ex tunc censuit sicuti & nunc per præ-
sentes censet, ac declarat.

1. Totum librum, tanquam S. Scri-
pturæ, Conciliis, Unanimi SS. PP. Do-
ctrinæ a Christo Domino institutæ, &
perpetuo observatæ Ecclesiasticæ Hie-
rarchiæ contrarium, hæreticum, Schis-
maticum, Calumniis in omnes Catho-
licæ Ecclesiæ Episcopos, ac nominatim
in ipsum totius Ecclesiæ caput Roma-
num Pontificem maledicentissimis, im-
pudentissimis mendaciis, arrogantissi-
mis in quoslibet Scriptores judiciis,
mordacibus, & Christiana modestia in-
dignis Sarcasmis plenum, damnandum
esse prout de facto senset ac damnat.

2. In

Sæc. XVII. 2. Pontificem ipsum, tanquam
A. C. 1618. verum universalis Ecclesiæ Caput hu-
 millime obsecrandum, sicut de facto
 obsecrat, ut pro defensione Ecclesiasti-
 cæ Hierarchiæ & Primatus Sedis Apo-
 stolicæ ad exemplar Sanctissimorum
 Prædecessorum suorum non gravetur
 facere contra M. Antonium, quod in
 simili Primatus impugnatione, octava
 Generalis Synodus petiit ab Adriano
 Papa contra Photium. Similiter rogan-
 dos omnes Ecclesiæ Catholicæ Antisti-
 tes, ac præcipue Serenissimum, & Re-
 verendissimum Archiepiscopum, & Prin-
 cipem Electorem nostrum, ut eundem
 hunc Librum, ex omnibus Diæcesium
 suarum finibus, tanquam hæreticum
 & subditis noxiū proscribere & rele-
 gare Ecclesiastica sua authoritate di-
 gnentur.

3. Omnes Ecclesiæ Catholicæ Prin-
 cipes, ac Defensores & universum Ma-
 gistratum civilem humillime obsecran-
 dos, prout de facto obsecrat, ut civi-
 libus quoque edictis, & poenis subdito-
 rum suorum saluti & fidei contra hunc
 Librum sic prospiciant, ut exemplari-
 bus ubique locorum exustis, omnes in-
 telligant, melius in hoc mundo esse,
 ut Libri mali pereant, quam animæ
 Christi Sanguine redemptæ per eos
 perdantur.

§. LXVIII.